

cessas, earum tenorem præsentibus pro expressis habentes, tenore præsentium revocamus, cassamus, & annullamus, ac pro revocatis, cassis, & annullatis haberi, nullique in posterum suffragari. Quinimò libros per licentias hujusmodi permisos legentes aut habentes, pœnas in sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, & Indicibus Librorum prohibitorum contentas incurrere volumus, & declaramus. Decernentes, ut præsentibus litteræ, postquam in valvis Basilicarum S. Joannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ, nec non in acie Campi Floræ affixæ fuerint, infra duos menses ex tunc proximos, omnes, & singulos, ad quos spectat, ardeat, & afficiant, perinde ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent, quodque dictis duobus mensibus durantibus, ii, qui libros prohibitos hujusmodi habuerint, eos ad Episcopum, seu Inquisitorem, qui illos quantocius comburere debeat, deferre, quique aliquos similes libros prohibitos habere sciverint, eos denunciare teneantur, neque de cætero similes licentiæ, nisi à Congregatione Sancti Officii, quæ singulis hebdomadis coram Nobis haberi solet, concedantur, ac quod earundem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXX. Decembris M. DC. XXII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Anno à Nativitate D. N. JESU CHRISTI millesimo sexcentesimo vigesimo tertio, Indictione sexta, die vero secunda mensis Januarii, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Gregorii divinâ providentiâ Papæ XV. Anno ejus Secundo, retroscriptæ litteræ Apostolicæ affixæ fuerunt ad valvas Basilicarum S. Joannis Lateranensis & Principis Apostolorum de Urbe, ac Cancellariæ Apostolicæ, nec non in acie Campi Floræ, ut moris est, per me Brandimartem Latinum Apostolicum Cursorem.

Octavius Spada, Mag. Curs.

THEO.

THEOLOGIA ERRONEA,
ID EST
PROPOSITIONES
SUB DIVERSIS SUMMIS PONTIFICIBUS
DAMNATÆ,

Juxta ordinem Tractatum Theologicorum dispositæ,
Ita, ut ad Cantelam, & pro faciliore usu, circa quamvis Materiam statim occurrat, quid damnatum.

Multorum suasu Colonia in hunc modum primò
impressæ Anno 1697.

SUMMI PONTIFICES,
Sub quibus adjunctæ Propositiones sunt damnatæ, uti
& numerus Propositionum.

Summi Pontifices.

Propositiones.

P	IUS V. & Gregorius XIII. Anno 1579. 29. Januarii. Et Urbanus VIII. in Bulla Eminentis anno 1641. damnarunt propositiones, vulgò Bajanas.	79
	Paulus V. damnavit Anno 1605. 14. Junii de Pœnitentia.	1
	Innocentius X. & Alexander VII. damnarunt quinque Propositiones vulgò Janfenianas.	5
	Idem Alexander VII. anno 1659. 20. Januarii damnavit.	6
	Idem anno 1665. 24. Septembr. & anno 1666. 8. Martii damnavit.	45
	Innocentius XI. anno 1679. 2. Martii. damnavit.	65
	Idem anno 1679. 23. Novembr.	2
	Idem anno 1682. 18. Novembr. de Pœnitentia.	1
	Idem anno 1687. 28. Aug. damnavit Propositiones vulgò Molinianas 68. quæ tamen hic sunt omisæ, tum quia valde sunt absurdæ, tum quia magis ad asceticam quàm Theologicam materiam spectant.	
	Alexander VIII. anno 1690. 24. Augusti. damnavit.	2
	Idem anno 1690. 7. Decembr.	21
	Itaque Propositiones damnatæ, de quibus hic, sunt	277

Propositiones Lutheri & aliorum hereticorum, quamvis damnatæ, hic sunt omisæ, quia ex principiis Fidei & Concilii Tridentano facile dignoscuntur.



PROPOSITIONES DAMNATÆ,

Circa materiam, quam Theologi tractant cum D. Thoma

Prima Parte.


TRACTATUS I.
DE DEO.

DEI Patris Simulacrum nefas est Christiano in templo collocare. *Alexander VIII. 1690. 7. Decembr.*
 DEUS donat nobis Omnipotentiam suam, ut eâ utamur, sicut aliquis alteri donat villam vel librum. *Innocentius XI. 23. Novembr. 1679.*
 DEUS subjicit nobis suam omnipotentiam. *Innoc. XI. 23. Novembr.*

TRACTATUS II.

De Creatione hominis.

Absurda est eorum sententia, qui dicunt hominem ab initio dono quodam supernaturali & gratuito supra conditionem naturæ fuisse exaltatum, ut Fide, Spe, & Charitate Deum supernaturaliter coleret. *23. Baj.*
Avanis & otiosis hominibus secundum insipientiam Philosophorum excogitata est sententia, hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita fuerit largitate Conditoris sublimatus, & ad Dei Filium adoptatus. *24. Baj.*
 Integritas primæ Creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus Conditio. *26. Baj.*
 Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur. *55. Baj.*
 Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio. *25. Baj.*
 Falsa est Doctorum sententia priuam hominem potuisse à Deo creati & institui sine justitia naturali. *79. Baj.*
Videatur etiam Tractatus de gratia, ubi quædam de statu naturæ puræ.



PROPOSITIONES DAMNATÆ

Circa materiam, quam Theologi tradunt cum D. Thoma, in Prima Secunda.

TRACTATUS I.

De Actibus humanis, Conscientia, &c.

In statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale & demeritum, sufficit illa libertas, quâ voluntarium ac liberum fuit in causâ sua peccato originali & voluntate Adami peccantis. *Alex. VIII. 7. Decembr. 1690.*

Tamen

Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem, respiciam non excusat à peccato formalis. *Alex. VIII. 7. Decembr. 1690.*

Non licet sequi opinionem probabilem, vel inter probabiles probabilissimam. *Alex. VIII. 7. Decembr. 1690.*

Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè, potest tenere & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam. *Alex. VIII. 7. Decembr. 1690.*

Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi, si Dei charitas Patris est, si mundi concupiscentia carnis, hoc est, mala est. *Alexan. VIII. 7. Decembr. 1690.*

Intentio, quâ quis detestatur malum, & prosequitur bonum merè, ut caelestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens. *Alex. VIII. 7. Decembr. 1690.*

Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur. *Alex. VIII. 7. Decembr. 1690.*

Generatum dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeat, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.*

Si liber sit alicujus junioris & moderni, debet opinio censori probabilis, dum non constet rejectam esse à sede Apostolica tanquam improbabilem. *Alex. VII. 24. Septemb. 1665.*

Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valet.

Pelagianus est error, dicere, quòd liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum. *27. Baj. 28. Baj.*

Quod voluntariè fit, etiamsi necessitate fiat, liberè tamen fit, In omnibus suis actibus peccator servit cupiditati dominanti. *39. Baj. 40. Baj.*

Is libertatis modus, qui est à necessitate sub libertatis nomine, non reperitur in scripturis, sed solum nomen libertatis à peccato. *41. Baj.*

Illâ quoque, distinctio qua o. us dicitur bifariam bonum vel quia ex obiecto & omnibus circumstantiis rectum est & bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt) vel quia est meritorium Regni æterni, eò quod fit à vivo Christi membro per spiritum charitatis, rejicienda putatur. *62. Baj.*

Non nisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus sive non malus, & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit & docet. *65. Baj.*

Sola violentia repugnat libertati hominis naturali. *66. B. J.*
 Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessariò facit. *67. Baj.*
Videantur etiam Tractatus de Peccatis, Gratia, & Justitia.

TRACTATUS II.

De Peccatis.

Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modò non obstat valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.*

D d d

Vocari

Vocare Deum in testem mendacii levis; non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 24.

Cum causa licitum esset jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 25.

Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocunque alio sine jure, se non fecisse aliquid quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel aliud quodvis additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 26.

Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa. *Innoc. XI. 12. Mart. 1679.* 27.

Qui mediante commendatione vel munere ad Magistratum vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali prestare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 28.

Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solam esse malam, quia interdicta, ut contrarium rationi dissonum videatur. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 48.

Mollities jure naturæ prohibita non est, unde, si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 49.

Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne à Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 51.

Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris & pollutionis. *Alex. VII. 8. Mart. 1666.* 40.

Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam æternam. 20. *Baj.*

Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis questio est, sed causæ originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium. 46. *Baj.*

Unde peccatum Originis verè habet rationem peccati sine ulla relatione ac respectu ad voluntatem, à qua originem habuit. 47. *Baj.*

Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eò quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium. 48. *Baj.*

Et ex habituali voluntate determinante fit, ut parvulus decedens sine regenerationis sacramento, quando rationis usum consecutus erat, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & legi Dei repugnet. 49. *Baj.*

Prava desideria, quibus ratio non consentit, eò, qua homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto, *Non concupisces.* 50. *Baj.*

Concupiscentia, sive lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia. 51. *Baj.*

Omne

Omne scelus ejus est conditionis, ut suum authorem & omnes posteros eò modo inficere possit, quo infecit prima transgressio. 52. *Baj.*

Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritum malorum à generante contrahunt, qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum majoribus. 53. *Baj.*

In peccato duo sunt: actus & reatus: transunte autem actu, nihil manet nisi Reatus sive obligatio ad poenam. 56. *Baj.*

Omnes omninò justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum, unde Job & Martyres, quæ passi sunt, propter sua peccata passi sunt. 72. *Baj.*

Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam determinatur, peccatum est, sicut & alii habitus pravi. 74. *Baj.*

Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiatum prohibiti præcepto: *Non concupisces*; unde homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur præceptum *Non concupisces*, quamvis transgressio peccatum non deputeretur. 75. *Baj.*

Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* 76. *Baj.*

Peccatum Philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali & rationi. Theologicum verò mortale est transgressio libera divini legis; Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de eo actu non cogitat, est grave peccatum sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æternà poenà dignum. *Alex. VIII. 24. Aug. 1690.*

Videantur etiam Tractatus de actibus humanis, de legibus, de gratia, de charitate, de justitia & de Penitentia.

TRACTATUS III.

De Legibus.

Populus non peccat, etiamsi absque ullà causà non recipiat legem à Principe promulgatam. *Alex. VII. 1665.* 28.

Definitiva hæc sententia: Deum homini nihil impossibile præcepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit. 54. *Baj.*

Celebris illa Doctorum distinctio Divinæ legis mandata bifariam impleti. Altero modo quantum ad certum quandam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad regnum æternum, hoc est, ad modum meritum, commentitia est & explodenda. 61. *Baj.*

Tamet si detur ignorantia, &c. *Vid. de actibus humanis.*

Videantur etiam Tractatus de Peccatis & de Justitia.

TRACTATUS IV.

De Præceptis Ecclesie.

Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo: si absit contemptus. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 52. *Baj.*

Satisfic

Satisfit Præcepto Ecclesiz de audiendo sacro, qui duas partes, imò quatuor simul à diversis celebrantibus audit. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 53

Frangens jejuniùm Ecclesiz ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contempitu vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subijcere præcepto. *Alex. VII. 24. Sept. 1665.* 23.

In die jejunii qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejuniùm. *Alex. VII. 8. Mart. 1666.* 29.

Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejuniò. *Alex. VII. 8. Mart. 1666.* 30.

Excusantur absolute à Præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, urcunq; iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei consistat. *Alex. VII. 8. Mart. 1666.* 31

Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova & lacticia in quadragesima obliget. *Alex. VII. 8. Mart. 1666.* 32

Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo presentato seu ab eo injusto reprobato. *Alex. VII. 24. Sept. 1665.* 13.

Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit Præcepto Ecclesiz. *Alex. VII. 24. Sept. 1665.* 14

Nullus in foro conscientiz Parochiz suæ interesse tenetur nec ad annuam confessionem, nec ad Missas parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, fidei rudimenta, morum doctrinam, quæ ibi in Catechesibus annuntiantur & docentur. *Sub Alex. VII. 1669. 30. Jan.*

Talem legem in hac materia neque Episcopi, neque Concilia Provinciarum vel nationum sancire neque delinquentes aliquibus poenis aut Ecclesiasticis censuris multare possunt. *Alex. VII. 1669. 30. Jan.*

Præcepto communionis annuæ satisfit, per sacrilegam Domini manducationem. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 55

TRACTATUS V.

De Gratia, justificatione impij, & merito.

Pagani, Judæi, Hæretici, alique hujus generis nullum accipiunt à Jesu Christo influxum: adeoque hinc rectè inferes in illis esse voluntatem nudam & inermem sine omni gratia sufficienti. *Alex. VIII. 1690. 7. Decemb.* 5.

Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quàm perniciofa est, sic ut proinde meritò possimus petere à Gratia sufficiente libera nos Domine. *Alex. VIII. 1690. 7. Decemb.*

Prima Propositio Iansenia: Aliqua Dei Præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundum præsentem, quas habet vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, quæ possibilia fiant. *Sub Urbano VIII. 1641. & Alex. VII. 1658. idibus Novemb.*

Secunda: Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur. *Sub Urbano VIII. 1641.*

Tertia: Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione. *Sub Urbano. VIII. 1641.*

Quarta,

Quarta, Semipelagiani admittebant præventis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus etiam ad initium Fidei: & in hoc errant hæretici, quod vellent eam gratiam esse talem, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare. *Ab Urbano VIII. Anno 1641. Prædic Nonas Martii.*

Quinta, Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omninè hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse. *Ab Urb. VIII. Anno 1641. Prædic Nonas Martii.*

Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia. *I. Baj.*

Sicut opus malum ex natura sua est vitæ æternæ meritòrium, sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritòrium. *2. Baj.*

Et Bonis Angelis & primo homini, si in statu illo permansissent usque ad ultimum vitæ, felicità esset merces & non gratia. *3. Baj.*

Vita æterna homini integro & Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt. *4. Baj.*

In promissione facta Angelo, & primo homini, continetur naturalis justitiæ constitutio, quæ pro bonis operibus sine alio respectu vita æterna justis permittitur. *5. Baj.*

Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset. *6. Baj.*

Primi hominis integri merita fuerunt primæ creatiõnis munera, sed juxta modum loquendi Scripturæ S. non rectè vocantur gratiæ, quo fit, ut tantum merita, non etiam gratiæ debeant nuncupari. *7. Baj.*

In redemptis per gratiam Christi nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum. *8. Baj.*

Dona concessa homini integro & Angelo forsitan non improbanda ratione possunt dici gratia, sed quia secundum usum scripturæ nomine gratiæ tantum ea munera intelliguntur, quæ per Jesum malè merentibus & indignis conferuntur, idèò neque merita, neque merces, quæ illis redduntur, gratia dici debet. *9. Baj.*

Solutionem poenæ temporalis, quæ peccato dimisso sæpè manet, & corporis resurrectionem propriè non nisi meritis Christi adscribendam esse. *10. Baj.*

Quod piè & justè in hac vita mortali usque in finem conversati vitam consequamur æternam, id non propriè gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio Creationis constitutæ, justo Dei judicio deputandum est, nec in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali institutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur. *11. Baj.*

Pelagii sententia est opus bonum citra gratiam adoptionis factum non est regni cœlestis meritòrium. *12. Baj.*

Opera bona à filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti, ex eo, quod sunt per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum ex eo, quod sint conformia legi, quodque per ea præstatur obedientia legi. *13. Baj.*

Opera bona justorum non accipiunt in die judicii extremi amplio remercedem, quàm justo Dei judicio mererentur accipere. *14. Baj.*

Ratiò meriti non consistit in eo, quod qui bene operatur, habeat grati-

am & inhabitantem spiritum sanctum, sed in eo solum, quod obedit divi-
næ legi. 15. *Baj.*

Non est vera legis obedientia, quæ sit sine charitate. 16. *Baj.*

Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti,
ut homo per gratiam adoptionis sublevetur ad statum Deificum. 17. *Baj.*

Opera Catechumenorum, ut Fidem & Pœnitentiam, ante remissionem
peccatorum factam sunt vitæ æternæ merita, quam vitam non consequen-
tur Catechumeni, nisi prius præcedentium delictorum impedimenta tol-
lantur. 18. *Baj.*

Humanæ naturæ sublimatio & exaltatio in consortium divinæ naturæ
debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est,
& non supernaturalis. 21. *Baj.*

Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Rom. 2. *Gentes quæ legem
non habent, naturaliter, quæ legi sunt, faciunt* intelligunt de gentibus fidei
gratiam non habentibus. 22. *Baj.*

Non solum fures ii sunt & latrones, qui Christum viam & ostium veri-
tatis & vitæ negant, sed etiam quicumque aliunde, quam per Christum in
viam justitiæ, hoc est, aliquam iustitiam conscendi posse dicunt. 24. *Baj.*

Aut tentationi ulli sine gratiæ ipsius adiutorio resistere hominem posse,
sic ut in eam non inducatur, aut ab eâ superetur. 30. *Baj.*

Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum
remissione peccatorum. 32. *Baj.*

Catechumenus iustæ, rectè, & sanctè vivit, & mandata Dei observat ac
legem implet per charitatem ante obtentam remissionem peccatorum,
quæ in baptismi lavacro demum percipitur. 33. *Baj.*

Amor naturalis qui ex viribus naturæ exoritur ex sola Philosophia per
elationem præsumptionis humanæ, cum injuria Crucis Christi defenditur
à nonnullis Doctoribus. 36. *Baj.*

Omne quod agit Peccator, vel servitus peccati vel peccatum est. 35. *Baj.*

Omnis amor, &c. vide de charitate.

Justitia quæ justificatur impius per fidem consistit, formaliter in obedi-
entia mandatorum, quæ est operum justitiæ, non autem in gratia aliqua a-
nima infusa, quæ adoptatur homo in Filium Dei & secundum interiorem
hominem renovatur ac divinæ naturæ consors efficitur, ut sic per Spiritum
Sanctum renovatus, deinceps bene vivere & Dei mandatis obedire possit.
42. *Baj.*

Operibus plerisque quæ à fidelibus fiunt, ut mandatis Dei pareant, cu-
jusmodi sunt obedire Parentibus, depositum reddere, ab homicidio, à furto,
à fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt Legis
obedientiæ & veræ legis Justitia, non tamen iis obtinent incrementa virtutum.
44. *Baj.*

Quando per elemosynas aliaque pietatis opera Deo satisfacimus pro
peccatis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus,
sicut quidam errantes autumant; nam alioquin essemus aliqua sal-
tem ex parte Redemptores, sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi sa-
tisfactio nobis applicatur & communicatur. 59. *Baj.*

Similiter & illa distinctio duplicis justitiæ alterius, quæ fit per spiritum
charitatis inhabitantem, alterius, quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus
sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis & in
ca

eo charitatem diffundentis, quæ Divinæ legis justificatio impleatur odio-
sissima & pertinacissima rejicitur. 63. *Baj.*

Denique & illa distinctio duplicis vivificationis alterius, quæ vivificatur
peccator, dum ei pœnitentia & vitæ novæ propositum & inchoatio per Dei
gratiam inspiratur, alterius quæ vivificatur, qui verè justificatur, & palme
vivi in vite Christo efficitur, commentitia judicatur & scripturis minimè
congruens. 64. *Baj.*

Justificatio impii fit formaliter per obedientiam legis, non autem per
occultam communicationem & inspirationem gratiæ, quæ per eam justi-
ficatos facit implere legem. 69. *Baj.*

Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ
viribus ortum ducit, agnoscit. 32. *Baj.*

Videantur etiam Tractatus, de Deo, de Creatione, de actibus humanis,
de Charitate, & de Pœnitentia.



PROPOSITIONES DAMNATÆ

*Circa materiam, quam Theologi tradunt cum D. Tho-
ma in Secunda Secunde.*

TRACTATUS I.

De Fide & Spe.



Necessè est infidelem in omni opere peccare. *Alex. VII.*
7. Decembr. 1690. 8

Omne quod non est ex fide Christiana supernaturali,
quæ per dilectionem operatur, peccatum est. *Alexand.*
VII. 7. Decembris. 1690. 11.

Quando in magnis Peccatoribus deficit omnis amor,
deficit etiam Fides, & etiam si videntur credere, non est Fides Divina, sed
humana. *Alex. VIII.* 7. Decemb. 1690. 12.

Futilis & toties convulsa est assertio de Pontificis supra œcumenicum
authoritate atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate. *Alexan.*
VIII. 7. Decemb. 1690. 29

Bulla Urbani VIII. in Eminenti est subreptitia. *Alexand. VIII.* 7. De-
cembr. 1690. 31

Ab infidelitate excusabitur infidelis, non credens ductus opinione mi-
nus probabili. *Innoc. XI.* 2. Mart. 1679. 4.

Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, secundum se. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 16
 Satis est actum Fidei semel in vita elicere. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 17.
 Si quis à potestate publica interrogatur, fidem ingenuè confiteri ut Deo & Fidei gloriosum consulo tacere, ut peccaminosum per se non damno. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 18.
 Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam meretur pondus rationum ad assensum impellentium. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 19
 Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 20.
 Assensus Fidei supernaturalis & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabilis revelationis, imò cum formidine, quâ quis formidet, ne non sit locutus Deus. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 21
 Non nisi Fides unius Dei necessitate mediè necessaria videtur, non autem explicita remunerationis. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 22.
 Fides latè dicta ex testimonio creaturarum similivè motivo, ad justificationem sufficit. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 23
 Absolutionis capax est homo, quantumvis labore ignorantia mysteriorum Fidei, & etiam si per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 64
 Sufficit mysteria Sanctissimæ Trinitatis & Incarnationis semel credidisse. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 65.
 Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi Præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium. *Alex. VII. 24. Septemb. 1665.* 7.
 Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis. *Alex. VII. 24. Septemb. 1665.* 5.
 Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia. 25. *Baj.*
 Infidelitas purè negativa, in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est. 68. *Baj.*
 Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur. *Alexand. VII. 8. Mart. 1666.* 45
Absolutio ab Hæresi & alia videantur de Pœnitentia & Censuris.

TRACTATUS II. De Charitate.

AN peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum elicere: condemnare non audemus. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 6.
 Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum Charitatis erga Deum. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 6.
 Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 7.
 Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali-formalis verò in conformitate actus cum regula morum: ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè, hunc homo

homo non tenetur amare, neque in principio, neque in discurfu vitæ suæ mortalis. *Alex. VII. 1. 24. Aug. 1690.* 1.
 Non tenemur proximum diligere actu interno & formali. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 10.
 Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 11.
 Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam in efficaci affectu petere & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 13
 Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 14.
 Licitum est filio gaudere de parricidio Parentis à se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 15.
 Vix in secularibus etiam in Regibus invenies superfluum statui, & ita vix aliquis tenetur ad elemosinam, quando tenetur tantum ex superfluo statui. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 12
 Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis potest habere veram charitatem, & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis. 70. *Baj.*
 Distinctio illa d' plicis amoris naturæ scilicet quo Deus amatur ut author naturæ, & gratuita, quo Deus amatur ut beatorum, vana est & commentitia, & ad illudendum sacris literis, & plurimis veterum testimonis ex ogitata. 34. *Baj.*
 Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, quæ per Spiritum sanctum in corde diffusa Deus amatur. 28. *Baj.*
Videantur etiam Tractatus de Peccatis, de Gratia, de Fide & de Justitia.

TRACTATUS III. De Jure & Justitia.

PROBABILITER existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 2.
 Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam vel ictum fultis fugiat. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 30.
 Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 31.
 Non solum licitum est defendere occisiva defensione, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 32.
 Licitum est tam hæredi quàm legatario contra injustè impediendam, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicuti & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam, contra eorum possessionem injustè impediendam. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 33

Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur. *Innoc. IX. 2. Mart. 1679.* 34

Videtur probabile omnem foetum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 35.

Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 36.

Famuli & famulae domesticae possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 37.

Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere quod ablatum est per parva furta, quantumque sit magna summa totalis. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 38.

Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 39.

Contractus mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem persona, & cum contractu retrovenditionis praevidè inito cum intentione lucri. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 40.

Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nul'us sit, qui non majoris faciat pecuniam praesentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuario exigere, & eo titulo ab usura ex usari. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 41.

Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solum si exigatur, tanquam ex iustitia debitum. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 42.

Quidni nonnisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 43.

Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam & honorem defendat, & si hoc non sit probabile, vix ulla opinio erit probabilis in Theologia. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 44.

Vix equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. *Alex. VII. 24. Sept. 1665.* 2.

Est licitum Religioso vel clerico, calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi religioso, vel ejus religioni publicè & coram gravissimis viris praedicta impingere, nisi occidatur. *Alex. VII. 24. Sept. 1665.* 17.

Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, à quo iniqua certè imminet sententia, si alià vià non potest innocens damnum evitare. *Alex. VII. 24. Sept. 1665.* 18.

Quando litigantes habent pro se opiniones aequè probabiles, potest iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius prae alio. *Alex. VII. 24. Sept. 1665.* 26.

Licitum est mutuari aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus. *Alex. VII. 8. Mart. 1666.* 42.

Videantur etiam Tractatus de actibus humanis, de peccatis & de legibus.

TRACTATUS IV.

De Beneficiis, de Simonia, de jurisdictione Episcopali & de Regularibus.

Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem recitare reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 54.

Dare temporale pro Spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali aut econtra. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 45.

Et id quoque locum habet, etiam si temporale sit principale motivum dandi spirituale, imò etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sicut illud pluris aestimetur, quam res spiritualis. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 46.

Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores & Ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint ad Ecclesias promoveri, Concilium vel primò videtur per hoc digniores: non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo positivo, vel secundò locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos, vel tandem loquitur tertio, quando sit coneurfus. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.* 47.

Restitutio à Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam iudicis, eo, quod sit poena. *Alex. VII. 24. Sept. 1665.* 20.

Habens Capellaniam collativam, aut quòvis beneficium Ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfacit suae obligationi, si officium per alium recitet. *Alex. VII. 24. Mart. 1665.* 21.

Non est contra justitiam beneficia non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica pecunia interveniente non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferte non tenebatur. *Alex. VII. 24. Sept. 1665.* 22.

Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascunque elemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit. *Alex. VII. 8. Mart. 1666.* 38.

In die Palmarum recitans officium paschale satisfacit Praecepto. *Alex. VII. 8. Mart. 1666.* 34.

Unico officio potest quis satisfacere duplici praeecepto pro die praesenti & crastino. *Alex. VII. 8. Mart. 1666.* 35.

Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos. *Alex. VII. 8. Mart. 1666.* 43.

Regulares mendicantes petere possunt licitè à Judicibus saecularibus, ut injungant Episcopis, quatenus ipsis mandata concedant ad praedicandum in Adventu, & Quadragesima, quod si renuant facere Episcopi Decretum Judicum saecularium tantumdem valet, ac si permissio dictis Religiosis concessa fuisset. *Sub Alex. VII. 30. Jan. 1659.*

Regulares possunt in foro conscientiae uti privilegiis, quae sunt expressè revocata per Tridentinum. *Alex. VII. 8. Mart. 1666.* 36.

Plura videantur in tractatu de Penitentia circa finem, & de Praeceptis Ecclesiae.



PROPOSITIONES DAMNATÆ

*Circamateriam, quam Theologi tradunt cum D. Thoma
in Tertia Parte & Supplemento.*

TRACTATUS I.

De Incarnatione, uti & de B. M. V.



Empelagianum est, &c. *videatur de gratia.*

Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo non pro solis electis, sed pro omnibus & solis fidelibus. *Alex. VIII. 7. Decemb. 1690.*

Oblatio in templo, quæ fiebat à B. V. M. in die purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis sufficienter testatur, quod indiguerit purificatione, & quod filius, qui offerebatur, etiam maculâ matris maculatus esset secundum verba legis. *Alex. VIII. 7. Decemb. 1690.*

Opera justitiæ & temperantiæ, quæ Christus fecit ex dignitate personæ operantis non traxerunt majorem valorem. *19. Baj.*

Nemo præter Christum est absque peccato Originali, hinc B. V. mortuus est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis. *73. Baj.*

Laus quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana est. *Alex. VIII. 7. Dec. 1690.*
Videatur etiam Tractatus de gratia & fide.

TRACTATUS II.

De Sacramentis in genere.

Non est illicitum in Sacramentis conficiendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi, hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, Ordinis Sacerdotalis aut Episcopalis. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.*

Urgens metus gravis est causa justam sacramentorum administrationem simulandi. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.*

TRACTATUS III.

De Baptismo & Confirmatione.

Vult aliquando Baptismus sub hac forma collatus: *In nomine Patris, prætermis illis: Ego te baptizo.* *Alex. VIII. 7. Decemb. 1690.*
Valet Baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum for-

matque baptizandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvit, non intendo, quod facit Ecclesia. *Alex. VIII. 7. Decemb. 1690.*

In hominibus pœnitentibus ante sacramentum absolutionis & in Catechumenis ante Baptismum est vera justificatio, separata tamen à remissione peccatorum. *43. Baj.*

Unde in Sacramento Baptismi aut Sacerdotis absolutione propriè reatus peccati duntaxat tollitur, & ministerium Sacerdotum solum liberat à reata. *57. Baj.*

TRACTATUS IV.

De Eucharistia & Sacrificio Missæ.

Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætentendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint. *Alex. VIII. 7. Decemb. 1690.*

Similiter arcendi sunt à sacra communione, quibus nondum in eâ amor Dei purissimus & omnis mixtionis expers. *Alex. VIII. 7. Decemb. 1690.*
Præcepto communionis, &c. *videantur de Præceptis Ecclesiæ.*

Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus, ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII. *Alex. VII. 24. Sept. 1665.*

Post decretum Urbani potest sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minore stipendio, aliâ parte stipendii sibi retenta. *Alex. VII. 24. Septemb. 1665.*

Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre, neque etiam est contra fidelitatem, etiam si promittam promissione per juramentum firmata dari stipendium, quod pro nullo alio offeram. *Alex. VII. 24. Sept. 1665.*

Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, est Consilium, non præceptum. *Alex. VII. 8. Mart. 1666.*

Illa particula: *quamprimum*, intelligitur, dum Sacerdos suo tempore confitebitur. *Alex. VII. 8. Mart. 1666.*

Sacrificium Missæ non alia ratione est sacrificium quàm generali illâ, quæ omne opus, quod fit, ut sanctâ Societate homo Deo inhzreat. *45. Baj.*

TRACTATUS V.

De Pœnitentia, Indulgentiis, & Censuris.

Timor gehennæ non est supernaturalis, *Alex. VIII. 7. Decemb. 1690.*
Attritio, quæ gehennæ & poenarum metu concipitur sine dilectione benevolentie Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis. *Alex. VIII. 7. Decemb. 1690.*

Revera peccat qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem & disconvenientiam cum natura sine ullo ad Deum offensum respectu. *Alex. VIII. 7. Decemb. 1690.*

Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non possit, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex & præscriptio, natura rei idipsum quodammodo dicente. *Alex. VIII. 7. Decemb. 1690.*

Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus. *Alex. VIII. 7. Decembris. 1690.* 17.

Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiam si eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu sed abusu. *Alex. VIII. 7. Decembris. 1690.* 18.

Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato Originali. *Alex. VIII. 7. Decembris. 1690.* 19.

Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ. *Alex. VIII. 1690. 7. Decembris.* 20.

Parochianus potest suspicari de mendicantibus qui elemosynis communibus vivunt, de imponendâ nimis levi & incongrua pœnitentia seu satisfactione ob quæstû vel lucrû subsidii tēporalis. *Alex. VIII. 1690. 7. Decembris.* 21.

Frequens confessio & communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis. *Innoc. XI. 2. Martii. 1679.* 56.

Probabile est sufficere attritionem naturalem modo honestam. *Innoc. XI. 2. Martii. 1679.* 57.

Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem. *Innoc. XI. 2. Martii. 1679.* 58.

Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè tantum Confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v.g. potest contingere in die magnæ festivitatis aut indulgentiæ. *Innocent. XI. 2. Martii. 1679.* 59.

Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere & proponere emendationem. *Innoc. XI. 2. Martii. 1679.* 60.

Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione versatur peccandi, quam potest & non vult omittere; quin imò directè & ex proposito querit aut eò se ingerit. *Innoc. XI. 2. Martii. 1679.* 61.

Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit. *Innoc. XI. 2. Martii. 1679.* 62.

Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporalis nostro vel proximi. *Innoc. XI. 2. Martii. 1679.* 63.

Absolutionis capax, &c. *Videatur de fide.*

Praelati regulares possunt in foro conscientie absolvere quoscunque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurta. *Alex. VII. 24. Sept. 1665.* 4.

Confessarius, qui in sacramentali confessione tribuit pœnitenti charam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denunciandus. *Alex. VII. 24. Sept. 1665.* 6.

Modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum solvere absque onere denunciandi. *Alex. VII. 24. Sept. 1665.* 7.

Peccata in confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere, *Alex. VII. 24. Sept. 1665.* 11.

Satisfacit præcepto annuæ confessionis, &c. *Vide in Tractatu de Præceptis Ecclesiæ.*

Qui facit confessionem, &c. *Vide in Tractatu de Præceptis Ecclesiæ.*

Pœnitens propriâ auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat. *Alex. VII. 24. Sept. 1665.*

15
Qui

Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab ordinario. *Alex. VII. 24. Sept. 1665.* 16.

Mollities, Sodomia, bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in confessione procurasse pollutionem. *Alex. VII. 24. Sept. 1665.* 24.

Qui habuit copulam cum soluta satisfacit confessionis præcepto, dicens commissi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam. *Alex. VII. 24. Sept. 1665.* 25.

Non est obligandus concubinariis ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarij, vulgè regale, dum deficiente illa nimis ægrè ageret vitam, & alia expulzæ radio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur. *Alex. VII. 2. Martii. 1666.* 41.

Quoad forum conscientie reo correcto ejusque contumacia cessante cessant censuræ. *Alex. VII. 2. Martii. 1666.* 44.

In hominibus pœnitentibus, &c. *vid. de Baptismo.*

Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed à solo Deo, qui Pœnitentiam suggerens & inspirans vivificat eum & resuscitat, ministerio autem Sacerdotis solus reatus tollitur. 58. Baj.

Per contritionem etiam cum charitate perfecta & cum voto suscipiendi conjunctam non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii sine actuali susceptione sacramenti. 71. Baj.

Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatum. 77. Baj.

Licet per literas sive per internum Confessario absentis sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem petere. *Damnata sub Clem. VIII. 20. Jun. 1602. hancque pro utraque parte intelligendam esse declaravit. Paulus V. An. 1605. 14. Jun.*

Per passionis Sanctorum in Indulgentiis communicatas non propriè redimuntur nostra delicta, sed per communionem charitatis nobis eorum passionis impertiantur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis liberemur. 60. Baj.

Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie sunt revalidatæ. *Alex. VII. 2. Martii. 1665.* 37.

Scientia ex confessione acquisita, modò fiat sine directâ aut indirectâ revelatione & gravamine pœnitentis, uti licet, si aliud multò gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius meridè contentinatur; additâ deinde explicatione sive limitatione, quod sit intelligenda de usu scientiæ ex confessione acquisitæ cum gravamine pœnitentis secus à quacunque revelatione, atque in casu, quo multò gravius gravamen ejusdem pœnitentis ex non usu sequeretur. *Hæc propositio quatenus admittit usum scientiæ cum gravamine pœnitentis, etiam cum dictâ explicatione sive limitatione prohibita est. Anno 1582. 18. Novembris, unice.*

Libri prohibiti, &c. *videatur de fide.*

Sententia asserens bullam cœnz solum prohibere absolutionem hæresi & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est. *An. 1629. visa & tolerata est. Alex. VII. 29. Sept. 1665.* 30.

Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtentè ad id Episcoporum facultate. *Alex. VII. 29. Sept. 1665.* 12.

Cor-

Concilium Tridentinum non obligat regulares, ad obtinendas approbationes ab Episcopis, ut secularium confessiones audire possint, neque de illius Concilii autoritate privilegia regularium restringi possunt, cum in Gallia receptum non sit, praterquam in decisionibus fidei, neque Bulla Pii IV. pro confirmatione illius Concilii promulgata. *Sub Alex. VII. 20. Jan. 1659.*

Ubi Concilium Tridentinum est receptum, non possunt Episcopi restringere vel limitare approbationes, quas regularibus concedunt, ad confessiones audiendas, neque illas ulla ex causa revocare, quinimò ordinum mendicantium Religiosi ad eas approbationes obtinendas non tenentur, etsi ab Episcopis Religiosi non approbentur, rejectio illa valet tantum, ac si approbatio concessa fuisset. *Sub Alex. VII. 30. Jan. 1659.*

Regulares ordinum mendicantium semel approbati ab uno Episcopo ad confessiones audiendas in sua Diocesi habentur approbati in aliis, nec nova Episcoporum indigent approbatione; regulares habent potestatem absolvendi à peccatis Episcopo reservatis, etiam si ab Episcopo auctoritas indulta ipsis non fuerit *sub Alex. VII. 1659. 30. Jan.*

Videantur etiam Tractatus de Peccatis, de Gratia, & Justificatione impii.

TRACTATUS VI.

De Matrimonio.

Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali. *Innoc. XI. 1. Mart. 1679.*

Copula cum conjugata, contentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum. *Innoc. XI. 2. Mart. 1679.*

Non peccat maritus occidens propriam auctoritate uxorem in adulterio deprehensam. *Alex. VII. 24. Sept. 1665.*

Finis Propositionum, hætenus usque in annum 1697. quantum innotuit, damnatarum, utnam Finis errorum & novitatum.



INDEX TRACTATUUM THEOLOGICÆ ERRONÆ.

<i>Ex Prima Parte.</i>	De Charitate	9.
T RACT. 1. De DEO Pagina 1.	De Jure & Justitia	10.
De Creatione hominis ibid.	De Beneficiis, simonia, Jurisdictione Episcopali & Regularib ⁹	12.
<i>Ex Prima Secunda.</i>	<i>Ex Tertia Parte & Supplemento.</i>	
D E actibus humanis & conscientia, &c. ibid.	D E Incarnatione & B.M.V.	13.
De Peccatis	De Sacramentis in Genere	ibid.
De Legibus	De Baptismo & Confirmatione	ib.
De Præceptis Ecclesiæ	De Eucharistia & Sacrificio Missæ	14.
De Gratia, Justificatione impii, & merito.	De Pœnitentia, Indulgentiis & Censuris	ibid.
<i>Ex Secunda Secunda.</i>	De Matrimonio	17.
D E Fide & Spe		8.

NB. Numerus post Propositiones ad finem positus, designat Ordinem et Numerum, in quo tales propositiones sunt inter propositiones damnatas à Summo Pontifice ibidem nominato. Lege & Cave.